

buitur, quam revera possident, ut ideo in animis hominum excitetur affectus rectæ rationi i. e. sapientiæ & pietati contrarius, utpote

I. Quando creaturis attribuuntur honores & perfectiones soli Deo competentes. Sic superstitiose Pontificii adorant sanctos, Papamque credunt infallibilem.

II. Quando spiritus malignos mediis plane absurdis sc. cruce, spinis, variisque herbis &c. abigi & coerceri posse credunt; quorsum pertinet etiam superstitio eorum, qui spiritus conjurare atque ridiculo & plane impio modo sibi subjicere cupiunt.

III. Quando auctoritas humana pro norma veritatum philosophicarum ac theologicarum habetur, sic superstitiose magni alicujus Philosophi aut Theologi dogmata ceu infallibiliter vera habentur. Huc pertinet Pontificiorum fides carbonaria.

IV. Quando effectus naturales pro miraculis & presagiis futuri mali vel boni reputantur. Sic aspectus cometarum, aliaque meteora superstitiosis sunt miracula, & ex noctuarum ejulatu, canum ululatu, atque aurium tinnitu &c. &c. superstitiosi faustum vel infaustum desumunt omen.

V. Quando futura ex incertis signis indagantur & determinantur. Huc pertinet Astrologia, Chiromantia, Geomantia, aliaque divinationis genera.

VI. Quando homines felicitatem ac sanitatem suam mediis absurdis, utpote certis verbis ac characteribus &c. promovere cupiunt.

§. 4. Ex allegatis exemplis adparet, superstitionem vel magis vel minus crassam esse, dum una